



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.

Pontano, Giovanni Gioviano

Venetiis, 1518

Tumulus Rosæ puellæ ante diem mortuæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13534

Hanc alui in tenebris. nutrix nox. Lubera suxit
 Noctis, et infanti lac fuit ipse sopor.
 Nec fatur, uerum somno testata perenni
 Quam nasci, satius uos docet esse mori.
 Hanc nullæ torquent curæ, non matris in ore est,
 Non lana in digitis comminuenda datur.
 Continuas ducat noctes. lux nulla, nec ulli
 Sunt uitæ sensus. munera nulla premunt.
 Dumq; hæc ipsa loquor, secura infantula dormit.
 Illam perpetuo somnus ab hymbre rigat.
 Nomen erat quod fecit herus Massila. Camœnæ
 Ornarunt domini pro pietate locum.
 Hic dormit Massila. sopor lac, Lubera præbet
 Nox ipsa, at cunas et tenebrae et loculi.

ROSAE P VELLAE ante diem mortuæ.

Non nomen tibi, quin omen fecere parentes,
 Dixerunt cum te bella puella Rosam.
 Utq; rosa breuius nil est, et que'ue caducum,
 Sic cito, sic breuiter et tua forma perit.
 Implesti denos uix nam formosæ decembres.
 Vere Rosa Heu nata es, mense decembre cadiſ.
 Non æstus, sed te rapuerunt frigora brumæ,
 Non æstus, sed te frigida soluit hyems.
 Ergo non hyemi flores, non raptæ per himbrem
 Frondescis, tumulo sed male Rosa rosa es.

PARTHENIAE VIRGINIS ET
 faculæ Veneris in eo ardantis. Viator et Genius colloquuntur.

k